MUSÆ CANTABRIGIENSES;

SEU

CARMINA QUÆDAM NUMISMATE AUREO CANTABRIGIÆ ORNATA,

ET

PROCANCELLARII PERMISSU EDITA.

ed. by Blomfield, Charles Ja and Thomas Kerrell

LONDINI:
IN ÆDIBUS VALPIANIS,
PRIDIE IDUS JANUARIAS,
1810.
VENEUNT
APUD LUNN, LONDINENSEM; ET BIBLIOPOLAS CANTABRIGIENSES,
OXONIENSES, ET ETONENSES.

Londini: ex typographiâ A. J. Valpy,
Took's Court, Chancery Lane.

LECTORI S.

HUJUS, qualiscunque sit, libelli rationem paucis tibi, Lector, traditam velimus. Numismata tria aurea ex legato GULIELMI BROWNE, M. D. juvenibus nostris Academicis præmio quotannis proponuntur; quorum uno Auctor carminis Græci, metro Sapphico conscripti, ornatur; altero, quicunque carmen Latinum ad exemplum Horatii felicissimè excuderit; tertio, qui Epigrammatum pari Anthologiam Græcam et Martialem optimè imitatus fuerit. Carmina autem, quæ numismate singula or-

nantur, in Comitiis, quod aiunt, maximis, auctores recitant, atque in album Academicum referunt. Quoniam verò dolendum visum est, hæc, juvenilia quidem, sed non inficeta semper, crepundia usque adeò post recitationem latere, ut vel in Academiâ ipsâ ignota essent, opus eligendi quædam atque edendi in nosmet libenter suscepimus, etsi laboriosum quiddam, nonnihil etiam difficilis in se habeat. Cùmque nobis ita visum fuit, librorum usum, qui carminum autographa continent, rogantibus humanissimè concessit Procancellarius superioris anni.

Diu multùmque nobis cogitantibus tandem visum est non omnia simul in lucem edere, sed potiùs carminum fasciculum, quem si placidâ fronte exceperit juventus nostra studiosa, reliqua etiam, et præclara quidem ea, aliquandò edi fortè possint;

nonnulla etiam omisimus, quæ antehàc publici juris facta sunt. Atqui nos non satis officio functuros fore judicavimus, si hæc ad literam scripta prodire sineremus, cùm inter ea haud pauca pravæ monetæ deprendissemus. Id enim sedulò cavendum esse statuimus, ne quid apertè solœcum, aut βαρβαρόφωνον in lucem daretur; nosque cum auctoribus ipsis gratiam inituros fore credidimus, si graviores mendas, quæ per opuscula hic illic spargerentur, mutatione, quâ licuit levissimâ, sustulissemus: præsertim cùm fieri non potuit, ut unumquemque auctorem de correctione consuleremus. Quædam tamen intacta reliquimus, cùm per voculæ unius vel alterius mutationem emendari nequiverint; nonnullas etiam voces sine notâ dimisimus, quæ ab ipsis auctoribus effictæ, contra linguæ tamen analogiam non peccarent. In re metricâ censuram parciùs egimus;

nec tamen idcircò nos fugit, permulta esse in hoc libello, quæ limatis auribus duriuscula vel etiam scabra videantur. Quoniam verò medicam manum adhibere religio fuit, nos non ingratum facturos esse credimus, si regulas quasdam et observationes proferamus, quæ Sapphicorum, ut aiunt, et Alcaicorum carminum scriptoribus fructui sint, quorum præcipuas debemus censori literario rei metricæ peritissimo, *Monthly Review*, XXV. p. 4 et seq. Et primùm de Sapphicis; quæ ita vulgò κατ' ἐξοχὴν audiunt, etsi paucissima in hujusmodi metris Poetria scripsisse videtur.

1. Divisionem vocis in fine tertii tantùm versûs fieri licet; non autem in fine primi, secundi, aut quarti.

2. Vocalis eliditur à Sappho et Ca-

tullo in fine tertii versûs, ab Horatio in fine primi, secundi, et tertii. Nobis autem regula in Græcis ita se habere videtur. Monosyllaba in ι desinentia elidi licet in fine cujusvis versûs, præter Adonicum: hypermonosyllaba verò non nisi in fine tertii; duo enim priores versus integri sunt et absoluti, tertius verò atque Adonicus in unum decurrunt. Vocalium hiatus nimis licenter quidam admiserunt; quod in constrictis hujusmodi metris minùs rectè fieri judicamus. Semel in Sapphûs fragmento inter simplices vocales occurrit γλῶσσα ἔαγε; ubi corruptelam dudum corrigere tentârunt viri doctissimi. γλῶσσ' ἐάγῃ, ἂν δὲ λεπτὸν, quod Toupius post Manutium et Fulvium Ursinum conjicit, manifestè absurdum est; nec multò meliùs Vossius, Baxterus, et Longepierre γλῶσσ' ἔαγ' ἂν δὲ λεπτὸν, etsi à Plutarcho citatur, T. I. p. 40. probante G. Cantero, N. L. v. 27. Nos cum digammate

legimus *Fίαγε*, quod à Sappho usurpatum fuisse testatur Terentianus Maurus.

Sunt qui hujusmodi carminum dialectum ad Sapphûs et Pindari normam exigi debere affirmant, quibus non omninò obsequimur: quid enim vetat ea in quâvis dialecto conscribere, si in Pindaricâ licet, quæ à Sapphicâ plurimùm distat? Hoc verò cavendum esse statuimus, ne cum Æolicâ et Doricâ confundatur Ionica vel Attica dialectus, quod persæpe factum esse vidimus. Qui autem aliter senserunt, eos ad ista perlegenda dimittimus, quæ scripsit Valckenaerius in Mosch. Epitaph. Bionis, p. 82. Quæ pluribus confirmare non multi laboris esset

Quod ad Alcaicos attinet, quos Poetæ nostri ferè omnes sonorum quasi et grande lyricorum genus prætulerunt, de tertio illo

versu, in quo tota metri vis et ratio posita est, pauca liceat proferre. Quatuor præcipuè, ut nobis saltem videtur, in hoc versu occurrunt rythmorum species. Prima, et frequentior quidem et numerosior illa, ubi in trisyllaba, vel integra, vel dissoluta versus dividitur, vel dividi videtur:

Perjura | pugnaces | Achivos
In parte | regnanto | beati
Nec sumit | aut ponit | secures
Excisus | Argivis | ter uxor.

Secunda, ubi in medio invenitur tetrasyllabon, in fine disyllabon:

Si fractus | illabatur | orbis.

Tertia, ubi in medio tetrasyllabon, in fine trisyllabon:

Visam | pharetratos | Gelonos.

Quarta, ubi in duobus quasi trochæis versus terminatur:

Delinit usus, | nec Falernâ.

De quâ rythmi specie pauca velimus tradere. Distinctionem nunquam invenies vel post disyllabum, vel trisyllabum in initio, quale istud Poetæ hodierni:

Per membra, vultus dulce rident.

Rarissimè duobus disyllabis, ter tantùm apud Horatium tetrasyllabo versus desinit:

Regumque matres barbarorum
Nodo coerces viperino
Ab insolenti temperatam.

Trisyllabo encliticum quidvis nunquam adjici vel iis, " qui nondum ære lavantur" satis pervulgatum esse arbitramur; Ne disyllabo quidem nimis frequenter adjiciatur, admonendum est; quinque tantùm, ni fallimur, apud Horatium exempla occurrunt. Monosyllabum in fine post distinctionem solùm invenitur:

Depone sub lauru meâ, nec—

In tertio autem versu, qualiscunque sit rythmi species, tetrasyllabum in initio nusquàm reperitur. Res eadem est, si in Creticum et syllabam dissolvitur, una tantùm excepta, et ea in brevissimo Horatii carmine, invenitur:

Hunc Lesbio sacrare plectro.

Versus iste

Sors exitura, et nos in æternum.

ob elisionem regulæ huic non adversari fortasse videatur.

Hæc habuimus, quæ de metris breviter admoneremus; sunt et alia, quæ limatus quisque et perpolitus, dum veteres diligenter pervolvit, subtili aurium judicio sibi facilè imponet. Ad vivos quidem poetarum antiquorum fontes accedat, nec hodiernis carminibus diutiùs quàm fas sit, immoretur;

ne vitiis imitabile decipiat exemplar, et quam licentiam assumserunt priores, eandem sibi in perpetuum vindicent posteri.

Ex his, si paululum tantùm gloriolæ et dignitatis Almæ Matri attulerint, vel malevolis facilè patebit, Academiam hancce celeberrimam non Philosophiæ solùm, sed literis etiam excolendis amplissima proposuisse præmia; et inter severiores Mathematicorum disciplinas jucundissimis poeseos studiis adolescentium ingenia refici interdum et recreari. Nec mirum sit, cur iste vir clarissimus, qui testamento præmia legavit, lyrica hexametris prætulerit. Si enim lyrica ingenio latiùs se explicandi copiam fortè negaverint; per brevius tamen curriculi spatium elata magis ac vivida sibi instat mens, nec, ut in Epicis, languescit interdum et defatigatur.

Ignoscat autem Lector benevolus, si unam aut alteram in scriptis maculam vel poetæ incuriâ, vel editorum negligentiâ, deprenderit, et parem culpæ tribuat indulgentiam. Si quis etiam in accentus malè positos hic illic offenderit, meminerit iste chartas libelli procul à nobis impressi minùs diligenter perlectas necessariò fuisse.

ODÆ

LATINÆ ET GRÆCÆ.

IN MEMORIAM

GULIELMI BROWNE,

EQUITIS, M. D.

Næniis eheu! nova luctuosis
Causa: ferales, age, necte cantus
Illius grato, pia Musa, placans
Carmine Manes;

Qui modos te funereos, fidesque
Lesbiæ poscit querulas puellæ,
Quæ simul blando intremuere mœsti
Pectine Flacci.

Quinctilî felix requievit umbra,
Audiit voces Maro lenientes,
Cessit et dulci patiens medelæ
Vatis amici.

O mihi si sic numeros, citosque
Pollicis fidi modereris ictus,
Temperans æstusque, tuosque miscens,
Pieri, rores;

Posterâ tunc usque recens Patronus
Laude floreret, neque me superbum
Præmiis, vinctumque sacrâ sileret
Fama coronâ.

Fas sit indigno tamen, ut recentem
Debitis spargam lacrymis favillam,
Laudibus non ille meis vel ipsâ in
Morte carebit.

Artis O præses medicæ, vel audis
Lætior Musæ citharæque fautor;
Spiritum Phœbus tibi, Phœbus artes
Mille medendi

Tradidit; nec tu intereà Camœnæ
Immemor; sed Castaliis in hortis
Te futurorum inseruisse juvit
Semina florum:

In tuum quos nunc tumulum fideles
Spargimus, Grantæque cohors per ævum
Annuos inter sua sacra ritè
Solvet honores.

Quid tamen vanos, pia Musa, planctus
Integret? Tu jam frueris piorum
Sede, quà Phœbi chorus omnis, omni
Munere lauri

Clarus assurgit tibi: te Poetæ,
Te suum agnoscunt Medici patronum,
Te suâ cingunt hederâ, sacrâque in
Valle reponunt.

EDUARDUS COOKE,
Coll. Regal. Alumn.
1775.

Graiis ingenium, Graiis dedit ore rotundo
Musa loqui,————

Per arva segni mersa silentio,
Per regna sævis stricta potentium
Vinclis tyrannorum vagari
Mente juvat, veterisque famæ

Pio intuentes relliquias metu
Moramur. O quæ, grande sonantium
Regina chordarum, quietos
Mæonidæ venerata manes,

Adhuc Achillem cedere nescium,
Irasque regum concinis, et minas
Cladesque belli, et molliores
Hectoreæ lacrymas maritæ;

Duc me per altæ, Diva, Scientiæ
Delubra, laurusque, et loca, consciâ
Quacunque majestate tristes
Relligio sibi sacrat umbras.

Seu quà Deorum lucidus alluit
Ilissus aras, et liquidam lyræ
Vocem, laboratamque prono
Detulit harmoniam fluento:

Aut quà sonanti pectine Pindarus
Argenteæ testudinis impulit
Nervos—ut infuso calescit
Pectora corripiente Divo.

Audin', frequenti murmure curruum
Pressus remugit campus, et anxios
Plausus, et hinnitus canoro
Continuans animosa versu

Tumultuatur chorda; per æquora
Longè citatis proripitur rotis
Auriga, et effusos Sicano
Per scopulos volat axe victor,

At quis stupentem terrificum sonans
Invasit aurem? jam laceri tremunt
Manes, et intorti capillis
Eumenidum sinuantur angues.

Cerno et catenis vinctum adamantinis
Robur Promethei, quem neque fulminis
Demissa majestas, nec undæ,
Nec liquido ruiturus igne

Perterret imber: cerno alacres Dei
Flammas ministras, et, Jove vindice,
Per saxa disruptosque longè
Caucason intremuisse clivos.

O vis severæ sacra Tragœdiæ!
O, quæ subactis sensibus imperas,
Regina, ferventesque victo
Insinuas animo tumultus!

Tibi haustus altè spiritus, et piâ
Qui leniter dulcedine profluunt
Fletus, et implexâ tremiscens
Cæsarie famulatur horror:

Quandòque scenâ mœstitiis risonans
Et parricidas Œdipodes manus,
Crimenque et incestos amores
Luctificâ exululârit actus

Insaniâ; quandòque tumultuans
Medea rupto fœdere amantium
Exardet, ultricesque lecti
Ingeminat furias; tenello

Nunc assidens infantibus angitur
Amore mater; nunc rabidum ad scelus
Viresque languentes lacerti
Et resides animavit iras.

Ergò incitati tu domitrix sinûs,
Sacra esto! tuque, O Græcia, tristium
Magistra nervorum, lyræque
Omnigenæ dominata voci,

Tuâ ipsa victrix cingere laureâ:
O plena sedes numinis! O domus
Beata Divorum, sub ipsis
Digna coli cinerum ruinis!

Utcunque, prisci nominis immemor,
Fati severam passa gemas manum,
Hellas, triumphatasque Graiûm
Transtulerit sibi Roma laurus;

Utcunque sanctum Tibrin, et uvidi
Delubra Musis conscia Tusculi,
Utcunque divini Maronis
Laude piâ decoremus urnam;

Te consecrabunt Pierides; tibi
Solenniori cum prece funebres
Ponuntur aræ; te, parentem
Carminis, harmoniæque fontem

Gratis veremur fletibus, et sacrâ
Ingentium formidine nominum
Fragmenta, collapsamque famam, et
Degeneres veneramur umbras.

JOANNES KEATE,
Coll. Regal. Alumn.
1794.

POMPEII COLUMNA.

ILLI sacratum pectus, et ingeni
Divinioris particulam puto
Inesse, per deserta quisquis
Ingreditur monimenta famæ,

Furore suavi plenus, et immemor
Præsentis ævi. O talis ad humidum
Si littus Ægypti cubantis
Et veterem vager ipse Nilum,

Te flebili dulcedine, te pio,
Columna, cordis devenerans metu,
Quæ sacra Pompeii favillam et
Marmoreâ premis ossa mole!

Illum, ut sinistro exceperat alite
Lagea tellus, Emathiæ fugam
Heu! multa conquestum supremam,
Et patriæ mala luctuosæ,

Percussit, illo indigna negotio,
Scelesta servi dextera: proh pudor!
Proh lapsa Libertas, et alti
Spes Latii, columenque rerum!

Jacet cadaver pulvere sordidum, et
Fædè revulsum conspicitur caput,
Frontisque majestas serenæ, et
Simplicitas metuenda vultûs;

Quàm sæpè grato Roma silentio
Spectârat; altum seu tegeret caput
Ter laurus insigni triumpho
Inclyta; seu flueret virilis

Per rostra linguæ copia melleæ.
Lugubre fatum! sed cineres tamen
Non semper infleti, nec ossa
Funereo caruere busto.

Mox tu sepulcro serior additus
Honor, superbos grande piaculum
Manes serenâsti, et decoro
Marmoreum caput extulisti,

Columna, fastu: mî nisi amabilis
Illusit error, quem potiùs tuâ
Sub sede depressam favillam et
Saxa juvat decorare fletu;

Quàm si repôstum sub trabe citreâ
Ornâsset olim te Pharii[1] bovis
Immane monstrum, et constitissent
Templa tuâ stabilita mole.

Jure insolentes Musa perhorruit
Viros, piorum queis neque manium,
Nec gloriæ sacrata priscæ
Relligio. Quid inane saxum,

Augusta quid non ingemuit tibi
Columna, moles, cùm manus impios

---

[1] Conf. White in Ægyptiacis.

Nefasta Gallorum triumphos
Nec meritas decora alta famæ;

Impunè saxis imprimeret tuis?[1]
Lunata quod non ausa manus, Deo
Invisa pubes, non superbi
Dedecus imposuere Turcæ,

Quod barbarorum non Arabum cohors,
Cùm mœsta dirum exhorruit impetum,
Doctrina, congestasque flammâ
Indoluit populante gazas.[2]

Quin vindicem non continuit manum,
Tutela præsens, Anglia; vividus
Quid possit ardor, quid secundis
Non sine Diis animosa virtus,

Testis Canopi littus, et invias
Seu fontium quà Nilus origines

---

[1] Captâ Alexandriâ, rei memoriam, additis etiam cæsorum nominibus, Pompeii columnâ insculpi jussit Bonaparté.

[2] Bibliothecam, sc. Alexandriensem.

Retexit audaci Britanno, et
Cœruleum patefecit antrum;

Seu quà sereno præfluit agmine
Obscura pigro regna silentio, et
Memphim, sepulcralesque tristi
Pyramidas veneratur amne.

Regale flumen! te quoque laureâ
Donavit unâ flebilior dies,
Columna: tu famæ, refusâ
Pigra natans Mareotis undâ,

Testis Britannæ; cùm patriâ senex
Virtute functus sustinuit mori,
Jam victor, insignemque lætus
Canitiem posuisse terrâ.

Sed luctuosam desine næniæ,
O Musa, vocem; desine flebiles
Lauros, et iratam sonanti
Militiam sociare chordæ,

Tumultuantem sollicitans chelyn,
Quam Pax et almâ voce vocat Quies,
Dumeta, vernantemque sylvam, et
Murmur amans fugientis undæ.

At tu volentem poscis adhuc lyram,
Columna; seu quòd flore Corinthio
Jactes, laboratumque lautâ
Arte decus; vel amica mavis

Audire nautæ et certa fides vago,
Seu sæviat, seu lubrica cœrulum
Æquor, renidentesque ponat
Halcyonis memor unda fluctus.

JACOBUS PARKE,
Coll. Trin. Schol.
1802.

LAUS ASTRONOMIÆ.

TESTANTUR ignes ætherei Deum,
Et turba cœli lucida concinit
Rerum Jehovam conditorem,
Omnipotens sine fine Numen;

Qui primus æterno æquora spiritu
Afflavit undis sæva tumentibus,
Noctisque commovit profundæ
Imperium, omnigenamque molem

Turbavit. Exin, sic voluit, silent
Informium certamina seminum
Compôsta, nec discordia ultrà
Triste cient elementa bellum.

Cœlestium Sol fons sacer ignium
Tum clarus orbi prosiluit novo,
Hausitque fœcundata tellus
Ætherei latices diei.

Tum lenis alas aura super quatit;
Cœlumque lætis personuit modis
Concentus astrorum, et sereno
Ibat ovans vaga Luna curru.

Mentisque consors cœlicolis, Homo
Diviniori Numinis halitu
Formatus; illi æternus ordo,
Perpetuæque vices, et anni

Risere miri tempora. Sed diù
Rerum latentes quærere distulit
Causas; nec explorare cœli
Ausus iter trepidante pennâ.

Donec gementem navita Bosporum
Tentaret alno, monstra natantia
Miratus undarum, et procellis
Fluctivagos sine more ventos

Tumultuantes. Nec tamen æquora
Nullis patebant auspiciis, neque
Nullæ reversuro micabant
Æthereæ, omina fausta, flammæ.

Tu, propter æterni, Urania, sedens
Dextram Tonantis, tu comites viæ
  Spemque et salutem, tu bonamque
    Æsonidæ miserata sortem

Præsens dedisti; lætaque lumina
Dignata fesso tendere navitæ,
  Fortem reduxisti catervam
    Per domiti nova regna ponti.

Tandemque te felicior auspice
Affulsit orbi Dia Scientia,
  Risitque Virgo, erepta tristi
    Liberior Taciturnitati.

Tum facta stellis nomina, tum suis
Notata gyris sidera; tum vices
  Signorum, et ignotâ sepultæ
    Nocte prius patuere leges.

Queis Sol quotannem motibus ordinem,
Queis et teneret Mercurius celer,
  Seræque Vesper noctis astrum,
    Dia Venus; neque tu latebas,

Sorore, Tellus, læta tuâ, licet
Olim columnis credat ahenels
Te vulgus imponi, neque ire
Sidereos mediam inter ignes;

Quam Mars rubenti sævior orbitâ
Spectat; sed illi proximus, ignium
Tutela, præcursor diei,
Roriferum Jovis ardet astrum;

Cui lucidorum turba Satellitum
Insomnis adsunt præsidio, latus
Utrumque stipantes coruscis
Ordinibus, decora alta cœli.

Exindè sudo volvitur ultimo
Saturnus, ævo et segnis inertiâ,
Trahitque torpentes per agros
Cœruleum nebulosus axem.

O si liceret terrigenæ auream
Pulsare plectro cœlicolûm lyram,
Ultràque Mundi puriores
Mœnia pervolitare tractus,

Raptus quadrigis ut sacer igneis
Vates in auras, fulget ubi dies,
Vastique per campos profundi
Innumeri spatiantur orbes!

Sed heu! eunti vincula corporis
Terrena, moles obstat inertior,
Mentemque pennas impotentem
Ulteriùs prohibet vagari.

Lucis per oras, Uranie, nisi
Præsens benigno lumine viderit
Nascentis horam, luctuosi
Expediens animi catenas;

Ut, Granta, mater nobilis artium,
Tuis alumnis risit, et ætheris
Sublime Neutono per agros
Rupit iter, celerique duxit

Novum per auras remigio hospitem,
Pandens verendæ arcana Scientiæ,
Quâ lege cœlum penduli que
Machina sustineatur orbis.

At quæ trementes vox citharæ procul
Perstringit aures, aerium melos?
Quæ tanta plausûs murmura, aureis
Cœlicolum sociata chordis?

En! ut citatis Uranie rotis
Terræ propinquat: jam videor Deam
Videre, jam lætâ triumphi
Altisonas bibere aure voces.

En! illa faustos, nec sine gloriâ
Dies alumnis præcinit, ingeni
Præclara cultrix, ac magistra,
Blandâ animum moderans habenâ.

Illâ licebit scandere siderum
Ducente tractus, et penetralia
Per lucis errare, et solutâ
Mente frui propiore cœlo.

SAMUEL BUTLER,
Coll. Div. Joann. Schol.
1793.

AD PACEM.

Cœlestis O si carminis alite
Sublimiori mens benè præsciat,
Canatque venturam secundo
Omine vaticinata pacem!

Ergò potenti numinis impetu,
O Diva, vates præmonitus tuos
Regni triumphos sub benigno
Auspicio melioris ævi

Jam jam futuros prædicat. O meos
Ne vana sensus somnia luserint!
Cùm clangor horrendus tubarum
Attonitas penetraret aures,

Virûmque clamor; quà rapidos equi
Traxere currus fusa per agmina,
Visæque bellantes catervæ,
Et trepido furere arma campo.

At qualis ibat per Chaos horridum
Tenebricosas inter aquas Deus,
Confusa quà moles jacebat,
Grandia mox solidi futura

Fundamina orbis, quas pater increpans
"Silete venti, vos quoque turbidi
Silete fluctus," et quierunt
Flamina, detumuitque vastum;

Sic, Diva, lapsam per liquidum aera
Videre te, cùm per grave prælium
Interque cædes luctuosas
Ætherio comitata cœtu

Ires, et altâ voce quiesceret
Bellum, juberes, virgula cui semel
Porrecta bellantûm furores
Comprimeret, mediasque pugnas.

Gratum elocuta compositæ simul
Te, Diva, turbæ: "quis rapuit furor?
"Civésne cognatos in arma
"Ambitio malesuada cogit?

"Quæ tanta Martis gloria? quis tuus,
"Victor, triumphus? scilicet ut ferox
"Impunè grassetur tyrannus
"Per miseras inimicus urbes,

"Fas omne cursu præcipiti et nefas
"Perrumpere atrox: tollite barbarum
"Morem, nec æternùm juvabit
"Sanguineas agitare rixas.

"O si liceret præteritum mihi
"Referre tempus, seculaque aurea,
"Cœlestis ut conjuncta mecum
"Harmonia imperitaret orbi

"Ubique pacato; exitiabilis
"Perosa belli fulmina, ut abdita
"Celaret instrumenta mortis
"Terra sinu nimiùm feraci.

" Sed me magistram, me coleret fides,
" Themisque simplex, nudaque veritas,
" Quas inter immortalis ultrò
" Fœdus amor sociale nectit.

" Quin tu vocantem sæpiùs audias,
" Britanna tellus! En venio lubens
" Cruenta sanatura belli
" Vulnera, nec sine laude cædi

" Parata finem ponere. Quis meos
" Tandem triumphos, quis reditum ad tuas
" Tardabit oras, dum morantem
" Vox populi vocat et Senatûs?

" O si labores Martis, et asperos
" Dediscat usus Anglia, et otium
" Secura, præsentemque pacem
" Compositis venerentur armis!"

Michael Thomas Browne,
Coll. Regal. Alumn.
1782.

IN

NAUFRAGIUM LUCTUOSUM

RICARDI PIERCE.

Cunctos foventem munditiæ Lares,
Brevemque mensam, donaque Principum
Suspecta fastidire certo
Fortem oculo, populique fasces,

Cultique lætum deliciis agri;
Frustrà movebis, victor ut improbis
Malit coæquari triumphis,
Aut avido dare vela ponto,

Divæ invidendos mobilis ambiens
Risus. Beatus, cui satis est; neque
Nudum flagello cædit, ignes
Per medios agitans egestas.

Hæc una multos laudibus addidit,
Hæc una letho non alit duces;
Te, Pierce, mandatum tuisque
Dimidium melius procellis.

Credam, relictis, heu malè debitum!
Fato negatas alite lugubri
Tentamus undas, à fugaci
Puppe sequax necis instat umbra.

Audis ut alto mugit Africus
Malo? nec iras quercus aquæ tulit,
Fluctusque trudentes opacis
Littoribus fremuere venti!

Eheu! per ignotam, et dubio viam
Erratur; austri quò temerè auferunt;
Et nocte sublustri, nec astrum
Aut speculæ vigil arce lampas

Vibrat per umbras ambiguum jubar;
Sæpè exituro sed faciles Deos
Sperabat optabatque, "ponto
"Unda minax posito recumbat."

Frustrà inquieta sponsa sinu fovens
Frustrà augurantes anxia liberos
Solatur, eliditque balbâ
Sæpè patrem prece postulantes

Secura. Surdis ille procul vadis
Illisus, æquor naufragus et notos
Incusat, aversumque numen
Conjugis et vidua ora poscit;

Orbamque natis progeniem. Propè
Jamjam immolandæ fluctibus impiis
Natæ involuti macerato
Implicitæ gremio parentis

Flebant; solutis candida crinibus
Per colla, et udas imbre genæ rosas
Fœdante; dignæ quâ stuperet
Regis amor cuperetque vinci.

Oppressa facundo illa silentio
Defixa cœlo lumina torpuit,
Scissam illa jactabat procellis
Cæsariem, dubiasque voces

Herculanei prostrati Relliquiæ.

O Herculani Rex, Pater, et Deus,
Quæ causa tristis clavigeram manum,
Heros, repressit? quæ morantes
Littora detinuere gressus?

At imminentes, tu Genius loci,
Urbi procellas, heu! nimis immemor,
Non distinebas. Cur iniquus
Nec proprias miseratus arces?

Opem negâsti; cùm tonuit fragor
Immanè, Sarnus fluctibus igneis
Spumabat, horrendoque nisu
Dissiluit labefacta tellus?

Vos, vos ruinæ præscius irritùm
Augur vocabat, vos prece inutili
Mystes, et incassùm laborans
Thure pio cumulavit aras.

Diù fugaci secula temporis
Volvere lapsu, dum Barathro gravi,
Dum nocte defossæ profundâ
Herculeæ jacuere sedes.

At nunc sepultæ candidior dies
Affulsit urbi; nunc iterum caput
Tollit superstes, nunc vetustum
Nomen adhuc rediviva jactat.

Tellus, sacrarum dives operum, ferè
Gaudens ruinâ quas gremio tuo
Mandaverit ætas, pande fauces,
Pande cavos inhians recessus.

Panduntur: at non Tartareum specus
Cantu reclusum Thessalico patet,
Non luridi fulgore Manes
Insolito tremuere lucis;

Sed urbs honores heu! meritos nimis,
Nec transituros vindicat, ignium
Secura, perrumpensque tetros
Nobilior cineres resurgit.

Spectare solas jam videor domos,
Altoque dudum clausa silentio
Delubra; sed quis turbat horror,
Cardine dum graviter sonoro

Stridere portæ; dum fremitu novo
Remugit ædes? Marmoreis adhuc
Splendet columnis, et theatrum
Negligit exitialis ævi

Tristes ruinas. Quò populus frequens,
Quò fugit unà spes dubia et timor
Vultus gubernans? quò cothurni
Grandis honos, fidiumque cantus?

Diù frequentes mors rapuit manus,
Diù cothurni detumuit furor,
Plaususque, festivique risus,
Et citharæ tacuere voces.

Non jam loquaci densa lavantium
Turbâ resultant balnea; sed trabes
Cedri, sed auratum lacunar,
Sed columen Parium renidet,

Flet aridum dum marmor, et exules
Hygea lymphas. Eia age, duc pedes,
Duc, Musa, quà mortis subactos
Lege gravi magico reducit

Sculptura tactu: duc, ubi lauriger
Heros lacertos arduus erigit
Saxo minaces, dum catervis
Fulmineo domitis videtur

Instare cursu! Cerno opus inclytum,
Cerno Pelasgæ relliquias manûs,
Eburque, cælatumque marmor,
Italicæ monumenta famæ.

Hìc fronte ridet purpureo decor,
Hìc subrubenti lætitiâ genæ
Blandùm relucent, et sereno
Lenis amor super ore ludit.

Feralis illic anxietas gemit
Verique luctus; En! oculi rigent,
En! pallor, immotusque vultus
Corde premit tacitum dolorem.

Nec jam labores Zeuxidos invida
Delevit ætas; spirat adhuc recens
Figura, commissique vivunt
Parrhasii tabulis colores.

Impressa doctâ parietibus manu
Pictura vivit; ficta nitet decor
Per membra, vultus dulce rident,
Dulce micant oculi loquaces.

Vosque, inter urbis fragmina sospites
Salvete libri! quos melior dies
Obliviosâ nocte pressos
In superas revocavit auras.

Salvete libri! sed licet alterum
Flaccum jocosâ dulcisonum lyrâ
Non audeat sperare Musa,
Non iterum tonitru Maronis;

At forsan antris Herculeis novi
Surgent poetæ: fortè Cupidinis
Lusus, venenatisque dicet
Terribilem pharetram sagittis,

Catullus alter; fortè Propertius
Alter canorum voce dabit melos,
Pulchramque, crudelemque nympham
Flebit amans leviore plectro.

THOMAS GISBORNE,
Coll. Div. Joann. Soc. Com.
1777.

BATAVIA REDIVIVA.

An ille divini halitus ætheris,
Anhela vitæ vis, abit in putrem
Glebam, neque antiquos renata
Sentit adhuc meminitve amores?

An feriatis Manibus Elysî
Inter virentes est siluas domus,
Nec credulas gentes fefellit
Ludibrio Mahumeda vano,

Sed quisque festis uvidus in rosis
Producta blandæ virginis oscula
Libat, neque humanæ querelæ
Sollicitâ bibit aure murmur?

Sint ista nocti tradita: sed tuæ,
Nî te vetaret sæva necessitas,
Bataviæ non vocis expers
Audîeras gemitus, Vilhelme![1]

Solebat olim scilicet hic tibi
Ridere felix angulus. En! tuam
Plebem ingravescenti tumultu, et
Strage novâ Nemesis fatigat.

Torrentium illic ira minacium
Fraudare ruptis objicibus preces
Agrestium, et lætas ruenti
Sternere aquâ segetes parabat;

Nudum immerentis dum latus imperî
Transiret ictus. Rotterodamios
Vidi paventes, percitumque
Horrisono Amsteladon fragore.

Vidi, oppidorum sceptra gerens Haga
Tumultuoso quà populo fremit,

---

[1] Gulielmus Primus princeps Auriacus.

Cædemque Terroremque latè
Sollicitos agitare vicos.

Videsne, rerum quà facies nova
Surgit? flagelli Tisiphone immemor
Compescit iras, et cruoris
Jam satura, in Stygiis tenebris

Altè recondit vipereum caput.
Sic rursùm, aquosi filia Nerei,
Te, terra, septemplex beabit
Copula, conjugiumque lætum.

Sopita flamma est, quam gremio in tuo
Nutrix alebas, Gallia, dissidî;
Hâc missa tempestas ab orâ
Terruit Oceani nepotes.

Sed cur Britannorum socias manus
Ciere vis in bella? patent viæ
Plures ad Orcum; nec Britanni
Fœmineos agimus triumphos.

Tuum decorat casside gratior
Superba mollem tænia militem.
Ah! membra ne ferro fatiges
Apta magis lepidæ choreæ.

Inter puellas ludere doctior,
Et, cuique vestis quæ magè rideat,
Suadere, ne lusu protervo
Prælia pulverulenta mutes.

Conturbat ensis nos neque Ibericus,
Nec fastus aulæ pompaque Gallicæ,
Non Indico qui stridet arcu,
Oceanive superbientis

Minæ. Sed iris fige modum tuis,
Sed parce victis, Musa: jocus tibi
Lususque rident, et lepores,
Et tacitâ requies in umbrâ.

Fruaris ergò quæ dederint tibi
Optata Parcæ munera: nam neque
Per dirutas jam sævit urbes
Sanguineis rabies in armis:

At fidus auras per liquidas Amor,
Unàque nexis Pax manibus, jugum
Cœleste, labuntur, ferentes
Compositæ studia alma vitæ.

Quin et sodali nunc vacuus puer,
Inter Lyæi pocula, Lesbiæ
Dolosque, risusque, et loquacis
Mille refert Veneres ocelli;

Injecta sed quis fræna licentiæ
Tenet cruentæ? Non ego, Brunsvici,
Te laude inornatum Camœnæ,
Si quid id est, bone dux, silebo.

Tu, cùm rapinas plangeret impotens
Crimenque læsæ fœmina fœminæ,
Et criminis vindex, et idem
Pacis eras mediusque belli.

Te laurus ergò tempora vestiet,
Te myrtus. Omni munere te beat
Fortuna, cui Gradivus acer
Et placido Venus ore risit.

Quin cum peribis, mollior imprimet
Cippus repôstas relliquias; neque
Tecum occidet divina virtus
Funereo tumulanda busto;

Sin pacis artes, juraque civium,
Tandem fugatis victor ab hostibus
Redux fovebis, fama eunctis
Usque recens juvenescet annis.

JOANNES TWEDDEL,
Coll. Trin. Schol.
1788.

Melite Britannis subacta.

Mœroris absit vox: querimoniæ
Absint inanes: seditio gravis
Quiescat, horrendumque noctis
Tartareæ caput abdat umbris.

Io! Britanni nunc hilares, Io
Triumphe! clament: adsonet ultimum
Littus, resultantesque discat
Lætificos iterare plausus.

Circumjacentes quà medium mare
Secernit oras, quà Melite minax
Incumbit undis, erigitque
Aeriam scopulosa frontem,

Classes Britannorum alite non malâ
Duxit nitentes gloria, et Angliæ
Vexilla victricis secundo
Sollicitat levis aura flatu.

Hanc labis olim nescia sordidæ
Virtus amavit nobilis insulam;
Hâc sede Libertas honores,
Hâc solium sibi vindicavit.

Quin et coruscâ Relligio face
Affulsit, altis sol uti montibus,
Duxitque firmavitque, fati
Casibus inviolata, mentes.

Hoc nempè sensit, cùm furiosior
Cladis frequenti dedecore, et novas
Molitus armorum procellas
Incaluit Solymanus, " Actum est,"

Juratus; " Actum est: jam Melites ruent
" Mista indecoro mœnia pulvere:
" Ardebit arx invisa; priscus
" Cedet honos Equitumque nomen.

"Audite, gentes: non iterum mare
"Nostro rubebit sanguine decolor,
"Crucisque se jactabit auris
"Non iterum sine fraude signum.

"Queis fama cordi est, rumpite, rumpite
"Moras: feroces neu videat dare
"(Proh dedecus damnumque nostrum!)
"Terga fugæ Mahumeda natos."

Dixit. Laborant æquora navibus,
Candentque remis icta frequentibus,
Tentosque pandunt sibilanti
Vela sinus tumefacta vento.

Jamque obvolutis dum Melite caput
Procul superbum nubibus erigit,
Fugacibus spes falsa nautas
Ludit imaginibus triumphi.

Vidit minanter signa nitescere
Lunata longè mobilibus fretis,
Classemque bellorumque pompam
Insula nobilior periclis.

Immota vidit; qualis ab æthere,
Sublime regnum vis aquilæ tenens,
Sereniori præliantes
Despicit imperiosa nimbos.

Tuque inter omnes altior eminens
Valetta, classis cùm propior venit
Infensa, tempestatis instar
Fulmineum rapis acer ensem;

" Crucem, fideles," increpitans, " Crucem
" Spectate! belli dux Deus;" agmina
Victoriæ præsagus, agmen
Ipse, cies animosque firmas.

Fugere Turcæ: quin remeat ratis
Vix una portus ad patrios, suis
Immane testatura tanti
Dedecus exitiumque belli.

Nuper vetustum indigna parentibus
Contaminavit militiæ decus,
Deditque Gallorum insolenti
Colla jugo sine cæde proles.

Tunc umbra notis sedibus immorans
Flebat Valettæ, dum pede barbaro
  Calcabat Heroum sepulcra
    Impietas dominata terræ.

At nunc secundo lumine faustior
Sol auspicatam te fovet, Insula,
  Rursùsque consorti triumphans
    Pax et honos solio recumbunt.

Ultrix cohortes nam domina æquoris
Injuriosas expulit Anglia,
  Cui mitè Libertasque pura
    Imperium pietasque sancit.

Nunc læta lapsas hâc Melite duce
Reponet aras: nunc iterum impetus
  Refringet hostiles, novæque
    Condet ovans monumenta famæ.

HON. FRED. ROBINSON,
Coll. Div. Joann.
1801.

HELVETIORUM

LUCTUS ET QUERIMONIÆ.

NUNQUAMNE pones tela cruoribus
Nondum expiatis uncta, cadaverum
Per cæde rorantes acervos
Usque adeò spoliator orbis

Vehere bacchans? Ambitio novum
Effrænis addit calcar, et hostias
Per saxa, per valles ruentis
Helvetiæ jubet immolari.

Rapacibus non militibus dabit
Gens hæc opimam pauper adoream,
Nullius auratis sacelli
Turba fremet satianda gazis.

Non hìc coruscat lumine prodigo
Palatiorum splendor, in orgiis
Non aula lymphatæ cohortis
Lætifico resonat tumultu.

Hìc pacis altrix stramineos colit
Ignara luxûs Simplicitas lares,
Hìc sola singultum querentis
Tesqua repercutiunt amoris.

His confremèbant agmina vocibus
Cladis futuræ præscia, sæviit
Cùm raptor externus Genaunûm
Per trepidas ruiturus oras.

O militaris gens animi ferax,
Rupes coronans risibus, irritùm
Prærupta Libertas valenti
Saxa dedit placuisse proli,

Vox classicorum jussit ab Alpium
Pacem abdicatis ire recessibus,
Raptasque mussârunt per urbes
Belligeræ strepitus procellæ,

Qualis paventûm terror ovilium,
Se vultur alis sanguineis levat,
Nimbosque discindens in agnos
Præcipiti rapitur volatû;

Tali triumphans vi, tibi, Galliæ
Devota Tellus, incubuit furor,
Clangorque Mavortis quietas
Allobrogum violavit umbras.

Spirante primâ bella tubâ, æneum
Hausere cautes Helvetiæ sonum,
Tortos per anfractus cucurrit
Tela rotans animosa pubes;

Imbellis ensem corripuit senex,
Irâque fervens erubuit gena,
Matrisque discusso timore,
Ipsa parens dedit arma proli.

Diù obstinatis impigra viribus
Stipavit arces Helvetiûm cohors,
Audactèr accendens iniquam
Pro patriâ Laribusque pugnam;

Non usitatis quassa tonitrubus
Saxa ingemebant, fragmina rupium
Avulsa fœdatos premebant
Cum galeis gladiisque campos.

Risit triumphans Gallus, et occidens
Vidit ruinas Helvetiæ dies,
Bellique sedato tumultu,
Funereo taciturnus horror

Rupes amictu vestiit: ingruens
Nox luctuosâ voce silentium
Sensit fugari, flevit uxor
Concita cum furiis amoris

Juxta interemti relliquias viri;
Cùm stridit auris vecta gementibus
Feralis infantûm querela, et
Noctivagæ strigis ejulatus

Non indecoris fusa sub ictibus
Circùm strepebat corpora, patrios
Quæ clade montes inquinârunt,
Alitibus canibusque præda.

Ast his sub umbris nuper arundinis
Turbæ audîerunt virgineæ melos,
Gyrosque festivos choreæ
Tortilis implicuere nymphæ.

Sylva hæc, amoris nuper idonea
Molli susurro, murmura barbaræ
Audit phalangis; flos juventæ
In tacitâ requiescit urnâ.

Gens servitutis conscia, quamdiù
Cernes inustam dedecoris notam?
Audistin'? ut manes tuorum
Sanguinis inferias reposcunt.

Quà Jura nubes ardua dissecat,
Vibrans minaci spicula dexterâ
Umbone Libertas sonorem
Terrificum reboante reddit;

Impôsta lugens vincula conspicit
Irata inermes Allobrogum manus,
Mistoque cum luctu coruscat
In rutilo rabies ocello.

Cum strage grassans irreparabili,
Qualis solutæ massa nivis cadit,
Ad arma concurrens, ad arma
Unanima Helvetiæ caterva,

Dextrâ catenas projice liberâ.
Vos excitantes prælia Tellii
Sublimis inspirabit ardor,
Et resides stimulabit iras.

Fratres, in armis nectite dexteras,
Sic quassa junctis Gallia viribus
Vos flebit excusso veterno
Vulneribus rapuisse laurum

Pulchris emendam: murmura virginis
Sic luctuosæ tristia desinent,
Sic questus imbellis senectæ,
Et viduæ gemitus silebunt;

Sic, dissipatis hostibus, Alpium
Stans in nivoso vertice concinet
Pæana Libertas, fragoris
Armisoni furias serenans;

Sic Consularis dura superbiæ
Rumpent Genauni vincla, nec altiùs
Lymphata consurget probrosis
Gallia ab Helvetiæ ruinis.

HENRICUS HARTOPP KNAPP,
Coll. Regal. Alumn.
1803.

IN OBITUM

JACOBI COOKE,

IN OWHYHEE INSULA OCCISI.

LUGETE raptum, Nereides, ducem,
Lugete, vos quæ marmor Atlanticum,
Vos quæ recessus insularum
Incolitis, placidasque sedes

Latè patentes occidui maris;
Frustrà secundæ vestra per æquora
Pacâstis undarum tumultus;
Nil placidi valuere fluctus

Duci caduco: nil maris ultimos
Lustrâsse fines profuit, et minas,
Solisque debacchantis ignes,
Et glaciem Borealis oræ

Tulisse; mundi dum propior polo
Montesque et horrens exsuperat gelu,
  Orbisque circumdat remensi
    Incolumi spatium carinâ.

Quæ fata, quæ te spes mala credulum
Inhospitales appulit ad plagas
  Infausta, quà ritu ferarum
    Per juga, Hyperboreosque saltus

Gentes vagantur? jam videor manus
Videre densas insidiantium,
  Quos urget humani cruoris
    Dira sitis, rabiesque belli.

En! ut dolosis fortiter hostibus
Ductor repugnet, nil timidus mori;
  Ut barbarâ infixus sagittâ
    Purpuream vomit ore vitam!

Ergò coercet perpetuus sopor
Ducem Britannûm, cui placuit fides
  Sincera, cui virtus secundis
    Temporibus dubiisque recta.

Quantùm malorum, quam tua patriæ
Mors luctuosæ tristitiam tulit!
Te nauta, te miles ferus, te
Finitimæ doluere gentes

Tuosque casus; te procul insula
Deplorat hospes, jam choreæ tacent
Et tympana, insuetæque chordæ
Funereas agitant querelas.

Fors et remoto littore barbarus
Nautæ dolores audiat, et ferox
Condiscat improvisa sensim
Hospitii coluisse jura.

Velint et hostes sanguinei diù
Infecta posthàc vulnera; cùm semel
Nôrint benignos interemti
Et placidos sine labe mores,

Qui nunc triumphant, nunc choreas agunt
Fuso Britanni sanguine, ut orgia
Vittatus instaurat sacerdos
Horrisonis operata festis.

"Non vincla," clamat, "non domini minas,
"Palamve raptâ virgine adulteri
"Fastum feremus, non dolores
"Finitimi metuamus orbis."

Sed non Iberum, non avidum ducem
Fudistis, at qui vellet amicior
Artesque sacratosque cultus
Implacidam docuisse gentem.

Ah si Deorum quisquis in asperis
Astabat olim te quoque barbaro
Cùm strideret fatalis arcus
Incolumem abripuisset ictu!

Domi laboris præmia sumeres
Periculosi, dum tibi patria et
Europa certatim reverso
Instrueret meritos honores,

Quem nunc sodales per mare barbarum
Funus reportant, et lacrymis piis
Fœdata ductoris madentes
Membra lavant, tumulisque ritè

Mandant aquosis. Anglia, tu pari
Ducum per annos prole superbias,
Sic æquora emensum per orbem
Nulla tuas lateant carinas.

CAROLUS HAYES,
Coll. Regal. Alumn.
1780.

IN OBITUM

DUCIS D'ENGHIEN

MŒSTISSIMUM.

VIDETIS? an me ludit imaginis
Error? Dearum jam video ordinem
Fulgere, non mortale visum,
Æthereum per inane vectum;

Quâ parte fluctus Oceanus trahens
Angustiores, littora Galliæ
Albis Britannorum perenni
Objice dissociavit oris.

Hinc casta Virtus; hinc Themis, et Pudor
Genam reflectens; Justitiæ soror
Fides, et incorrupta legum
Relligio, pia cura cœli.

Audisne vocem? tali, ubi cœlitum
Suprema terras fugerat, ingruens
Nefas et invitum querelâ
Exilium doluisse fertur

Astræa virgo. "Jam nimis, heu! nimis
"Madere regum sanguine Galliam,
"Scelusque civilis duelli, et
"Prisca solo simulacra Divûm

"Prostrata vidi; vidi ego principis
"Retorta tergo brachia libero, et
"Fato cadentem non decoro,
"Grande domi decus et juventæ.

"Ah nate tristi sidere! quid tibi
"Prodest, tumultus urbis et invidum
"Nomen recusanti, tyranni
"Difficilem latuisse visum;

"Tentâsse? at ægis non Themidos tibi
"Prætenta, non lex fascibus assidens,
"Nec termino interfusa certo
"Præsidium tulit unda Rheni.

" Sed nec supremus te propior dies
" Turbavit, aut instructa Necessitas :
" Urnâ, neque armatus satelles,
" Nec Stygius propè visus amnis ;

" Quin jam cadenti hæreret in ultimò
" Sermone, " Sed tu patria ! non tibi
" Hæc sacra, et occiso meorum
" Dulce erit haud cecidisse dextrâ."

" Vix tale fanti transadigit latus
" Fatale vulnus : mox humeris caput
" Vidi recumbens, et colorem
" Purpureum fugere ora vitæ ;

" Languere totum ; flos veluti tener
" Succisus unco vomere, seu decus
" Papaveri languescit ægro
" Imbre caput roseum gravanti.

" Quod si juventus, si pietas moram
" Morti valerent nectere, non patri
" Solum senectutis levamen,
" Non generi decus, et suprema

" Spes occidisset. Desine tristium
" Tamen querelarum: Elysium nemus
" Et dulce contemplatur arvum,
" Ipse tenens, ubi suaviori

" Fruuntur ævo, quot domini furor
" Aut immerentes judicis abstulit
" Sors falsa; quos inter recumbit
" Læsa sacri Palamedis umbra.

" Sed non tyrannum deseruit, diù
" Morata, vindex Pœna: aderit dies
" Non fraude divertendus ullâ,
" Qui veniet gravidus ruinâ.

" O si valerent omina! mox Honor
" Sedes avitas, mox Pudor et Fides
" Visemus, et gaudens reductam
" Sequana Justitiam videbit.

" Tunc, si quid umbris lætitiæ id ferat,
" Mœstum licebit quærere cespitem
" Tuis acervatum favillis
" Virginibus puerisque notis;

" Qui vere toto lilia, qui rosas,
" Nascentis anni munera, colligent,
" Sparsuri ad incisam sepulcro
" Uda piâ lacrymâ querelam;

" Suum redibit cùm patriæ decus."
Quò, Musa, tendis? consilium haud tibi
Referre fati, nec futuros
Temporis evoluisse casus;

Sed fas precari dum nova Galliæ
Aurora surgat, dum redeat quies,
Et pacis auctores Britannos
Compositus veneretur orbis.

CAROLUS JACOBUS BLOMFIELD,
Coll. Trin. Schol.
1805.

IN OBITUM

GULIELMI PITT.

O SI liceret grata dolentibus
Haurire Lethes flumina! cur sonat
Lugubre plectrum? cur relictis,
Musa, jocis, hilarique ludo,

Tristem jubetur ducere næniam
Invita? jam jam corde sub intimo
Curæ soporatæ resurgunt,
Et positus renovatur angor.

Ergò, Britannûm maxime, te quoque
Lethi peremit dura necessitas?
Ergò sepulcrali sub urnâ,
Noster honos, columenque, dormis?

Quis nunc, per æquor rupibus asperum,
Rerumque fluctus, et vada turbidâ,
  Quis imperî clavum tenebit,
    Et laceram reget arte navem?

Divina fugit mens, animus vigil
Fugit, periclis cedere nescius,
  Sagaxque venturi tenebras
    Luce suâ penetrare fati;

Expers timorum, propositi tenax,
Ad se trahentem cuncta pecuniam
  Contemnere audax, et secundis
    Temporibus, dubiisque rectus.

Illum nec amens vulgus, et impias
Effræna jactans seditio minas,
  Nec hostium nubes tremendam
    Littoribus meditata cladem

Concussit: inter funera gentium,
Vicesque diras, sceptraque funditùs
  Disjecta non leni ruinâ,
    Impavidus placidusque mansit.

Quis tempus illud non meminit grave,
Atrâque fœtus pernicie dies,
Cùm Gallia insanis per omne
Acta nefas furiis, rubensque

Nondum expiatâ cæde, Britanniæ
Invidit oris pace fruentibus,
Plebisque contendit quietas
Peste novâ vitiare mentes?

Gentis medullas sparsa per intimas
Contagia errant; jam magis et magis
Occulta mussavit procella,
Jam tremuit labefacta regni

Columna: sed tu, vi patriâ valens,
Opem tulisti, maxime; te duce,
Discordiæ murmur resedit,
Et tumidi cecidere fluctus.

Eheu! perenni lingua silentio
Compressa torpet, quæ modò curiæ
Cœtus gubernabat frequentes,
Rhetoricum jaculata fulmen.

Quàm corda verbis victa potentibus
Cessere! quanto contremuit metu,
Quicunque secretum parabat
Mente nefas, patriamve lucro.

Minùs colebat! qualiter, impio
Daturus igni Romuleas domos,
Facundiam Tullî minacis
Attonitus Catilina fugit.

O lux tuorum, nil vigor ingenî,
Nil os disertum, nil valuit fides,
Quin, civium votis negatus,
Antè diem caderes in ipso

Splendore famæ! Cùm tamen ultimus
Vitæ exeuntis deficeret calor,
Actisque pro nostrâ salute
Excubiis, nimiâque curâ

Fractus jaceres, tum quoque languidam
Mentem occupavit patria; patriæ
Trementibus nomen labellis
Hæsit adhuc, voluitque lingua

Orbæ precari fausta Britanniæ?
Sed dura lethi corripuit manus
Loqui laborantem; suisque
Spiritus exsiluit catenis.

Tantæ superbam funere victimæ
Europa Mortem vidit, et horruit;
Tristisque Libertas ademto
Ingemuit graviter patrono.

Quo plena luctu fleverit Anglia
Sol ille testis, cùm tibi publicus
Novissimum munus sepulcri
Solvit amor, tacitamque cives

Duxere pompam; donèc in ædibus,
Sanctus bonorum quà recubat cinis,
Artus honorati quiêrunt
Egregii propè patris urnam.

At, si qua castis præmia manibus,
Non occidisti; vivis, et ordini
Adscriptus heroum beato,
Ætheriâ spatiâris orâ.

Nunquam minores (si vel adhuc memor
Terrena miti lumine despicis)
Te non recordantes videbis;
Nunquam erit, ut lateas silenti

Oblivionis nocte reconditus:
Sed penè lapsi præsidium imperî
Diceris, ardebitque frustrà
Invidiæ furor obstrepentis.

Vale, Britannûm gloria; dum tuæ
Nutrix juventæ Granta pio gemit
Dolore sublatum, et verendos
Phidiacâ sacrat arte vultus.

Noster fuisti, cùm jubar extulit
Mens dia primum; noster adhuc eris,
Dulcesque, quas vivens amâsti,
Effigie decorabis umbras.

Ergò omnis ibit marmor ad inclytum
Futura pubes, perque tuum caput
